DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
QUAEDAM DE
CEREBRO CONCUSSO
COMPLECTENS:

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO,

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOANNES FURLONGE,

CHIRURGUS,

EX INSULA MONTSERRAT,

SOCIET. REG. MED. EDIN. SOC. EXTRAORD.

"——Non lingua valet, non corpore notae
"Sufficiunt vires, nec vox nec verba sequuntur."

VIRGIL.

Kalendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT J. PILLANS ET FILIUS.

MDCCCXXII.

PATRI DILECTISSIMO,

JOANNI FURLONGE,

ARMIGERO,

IN INSULA ANTIGUA DEGENTI,

FILIUS S. P. D.

Tibi, mi carissime semperque venerande Pater, qui a tenera usque infantia ad hunc diem me tanta cura et anxietate fovisti, hanc occasionem oblatam primitias studiorum nostrorum consecrandi, avidissime arripio. Messem tantis tamque multis sollicitudinibus nequaquam aequalem esse confiteor. Sed qualiscunque videatur fructus, illud saltem mihi credas, nec animi voluntatem, nec tui reverentiam, cessasse unquam. Diu familiae tuae laetus intersis, coeli luce fruaris, Deum beneficentem qui omnia potest, oro.

"Not rich, I render what I may,
I seize thy name in haste,
And place it in this first Essay,
Lest this should prove the last."

Cowper.

Edinburgi,
Kalendis Augusti MDCCCXXII.

VIRO ORNATISSIMO SPECTATISSIMOQUE,

JOANNI TURNER, ARMIGERO,

COLLEGII REGII CHIRURG. EDINENSIS SOCIO,

ET

EJUSDEM COLLEGII PROFESSORI CHIRURGIAE

ELECTO,

SEQUENTES PAGINAS,

UT ADMIRATIONIS PIGNUS,

MIRAE SUAVITATIS MORUM,

ATQUE

REVERENTIAE NUNQUAM DELENDAE,

ETIAM

OB MULTA ET HAUD PARVA BENEFICIA

IN EUM COLLATA,

DUM PER ANNOS FERE QUATUOR

HOSPITIO EJUS TECTI FELICITER FRUITUS EST,

DEDICAT ET CONSECRAT

AUCTOR.

VIRO EXIMIO,

ROBERTO GRAHAM, M. D.

COLLEGII REGII MEDICORUM,

ET

SOCIETATIS REGIAE EDINENSIS SOCIO,

REI BOTANICAE IN ACADEMIA EDINENSI,

PROFESSORI DIGNISSIMO;

HOC TENTAMEN ACADEMICUM,

IN TESTIMONIO ANIMI GRATISSIMI,

OB MULTA ET OPTIMA PRAECEPTA

AB EO SUAVITER SIBI TRADITA,

DUM CAMERIS CLINICIS,

CLERICI ET MINISTERI MUNERE FUNGERETUR,

DAT, DEDICAT, ET CONSECRAT,

ANIMO LUBENTISSIMO,

AUCTOR.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

QUAEDAM DE

CEREBRO CONCUSSO

COMPLECTENS.

Auctore JOANNE FURLONGE.

PRAEFANDA.

Summos medicinae honores ambiturus, ideoque, legi imperatrici obsecutus, aliquid ad artem machaonicam pertinens conscripturus, initio pauca de *Febre Flava* literis mandare statueram: quippe quae solum patrium, Indiam Occidentalem, dirissima strage populari soleat. Cum vero viri clarissimi Moseleius, Bancroftius, Jacksonus, pluresque hujus academiae alumni jam lucidissime hoc ar-

gumentum exposuerunt; nec mihi novis prolatis idem ampliare licet: Satius esse duxi de *Cerebro Concusso* pauca disputare; quod mali genus neminem medicorum non studio acerrimo prosequi oportet; sive in animo habeatur, quam plurimos auctores celeberrimos huc operam contulisse, sive, hoc viscus tanto imperio omnes corporis humani actiones gubernare; ut impetu alieno violatum, aliundeve laesum insigniter valetudinem perturbet aut labefaciat. Eoque potius mihi visum est hoc malum, de quo disputem, seligere, quod nondum, vel inter peritissimos, convenit, aut de ejus vera natura, aut curatione idonea. Mihi, haud sane novi aliquid edituro, consilium est, invicem collatis, quae varii scriptores senserint, vera, quantum opis sit meae, a falsis, comperta a fictis discernere.

Siquidem genus humanum nunquam et nusquam bellis, clade, aliisque casibus corpora violaturis vacavit; non admirandum erit, quod vetustissimi scriptores de malis

icto capite exortis egerint. Hippocrates, pater ille artis machaoniae venerandus, librum de capite vulnerato confecit: neque non Celsus ornatissimus idem argumentum luculenter et feliciter agitavit. Hodierni tamen et recentiores; potissimum, altius penitusque mala capite sauciato oriunda scrutati sunt. Haecce praefatus, ad naturam et causas Cerebri Concussi exponendas transeo.

QUAEDAM DE MALI PROPOSITI NATURA, CAUSISQUE ILLATURIS.

Cerebri Concussio sic, ni fallor, definiri potest: "Cerebrum impetu alieno, toti cor-"pori, capiti, aliive parti oblato laesum, ci-"tra calvariam fractam et intrusam, ullamve "notam insolitam cadavere patefacto depre-"hendendam *." Si cui igitur e sublimi lapso, caput, coxae, pedesve humo illidan-

---

* Vide Opera Pottii, tom. ii.

tur, cerebrum, illaesa calvaria, concuti et exinde vehementer affici probatur, malis dirissimis mox superventuris. Siquidem, undecunque caput aut corpus universum graviter conquassatur, exinde notae Cerebri Concussi oriri solent ; non mirandum erit caput ferramento obtuso percussum, occiputve, corpore supino cadente, ictum, atque alios casus similes, cerebrum haud raro concussisse.

Juvenes huic malo subeundo illata noxa excitante, minus quam seniores opportuni esse feruntur : quippe quibus contingit calvaria mollior. Contra, cerebrum iisdem jam concussum saepius et facilius in inflammationem sequi solitam labitur. Patet ex jam dictis, cerebrum concuti posse, non solum ossibus capitis integris ; verum etiam hoc ipso ne quidem contuso, aut icto : aliis partibus injuriae oblatis ; veluti si, homine ex alto decidente, pedes, coxae, lumbive humum petunt ; vel si mento impetus alienus affertur. Quoties caput caesum aut tunsum efficit ut cerebrum concutiatur, ossa calvariae perraro scinduntur. Scireque licet quanto magis

haec ictui plagaeve obnituntur, tanto potius et vehementius cerebrum concuti solitum esse. Cujus rei documento sit, durum quodvis baculi lignei ministerio verberatum; manus nimirum ferientis, modo baculus non frangatur, valde concutitur; quod si baculus renitendi impotens scinditur, manus haud concussa integritate perfruitur. Non sane inficias, eundem, cerebrum aliquando, scissa calvaria conquassari: imo vero id viscus subinde, illato ictu vel casu, simul concuti, atque, osse intruso cruoreve intus fuso opprimi. Quam plurima tamen exempla cerebri, citra noxam, pressuram, aliquamve notam insolitam introspiciendam, concussi a scriptoribus medicis literis tradita sunt. Siquidem igitur cerebrum citra compressionem, concussum vix aut ne vix quidem, quod ad fabricam vitiatur vel mutatur, causam hujus mali continentem tenebris quodammodo versari manifestum est: quod tamen perniciosissimum testantur signa terrentia derepente, fulminis instar, accessura. Proximum est, ut notas inquiramus.

DE CEREBRI CONCUSSI NOTIS.

Abernethius ille perceleber hujus mali progressum in tres partes diducendum existimat: quarum prima subitaneam istam et gravem generis nervosi, viriumque motricium resolutionem complectatur, quae noxam illatam extemplo excipere observatur. Secunda vero ea signa mox ventura comprehendat, quae vires aliquantulum erectas arguunt: qualia sunt motus cordis arteriarum et pulmonis paulo liberior, imbecillus sane; at vitae flammae conservandae habilis: mens porro et instrumenta sentiendi, stimulis admotis, momentum quasi temporis, suscitanda; iisdem subductis, iterum sopienda: tertia demum pars ex inflammati cerebri notis constet.

Quanquam medicus eximius jam relatus luculentissime de Cerebro Concusso scripsit, missa tamen distributione signorum ab eo

proposita, satius et utilius esse nobis videtur eadem bipartiri : nimirum, prius ea proferre, quae cerebrum, nervos fibrasque motrices collabi denuntiant: dein, quae renixum in cerebri incitationem atque inflammationem abiturum insigniunt. Quidam porro, nec injuria, ut opinor, tertium notarum ordinem adjiciunt, id est, quae cerebrum oppressum indicant: quoties inflammatio suppuratione vel latice cruoreve intus fuso finitur. Sequitur ut signa ineuntia, scilicet virium lapsarum inquiramus.

I. Si cerebrum aliquanto leviorem concussionem subierit, extemplo homo quasi exanimis concidit, sopitus, et membris solutis. Neque vero cordis motus quiescit ; at cor arteriaeque languide saliunt, ita tamen, ut eorum actio satis ad vitae flammam conservandam valeat. Vultus fere collabitur, et pallet ; pupillae plus aequo patent, parum, illatâ luce, coarctandae. Aeger soporatus cubat diutius breviusve, prout impetus gravior aut levior cerebrum quasserit. Si levior fuerit,

paulo postea accedunt dolor capitis, vertigo, caligo, mens confusa: brevique homo prorsus revalescit. Ne multa, uti aliquando concussio levissima est, in secundam valetudinem recidivam cito abitura; ita quoque eadem violentissima, genus nervosum penitus et statim obruit, mortem repentinam moliens.

Cerebro vehementer, at citra fatum instans, concusso, homo sentiendi, seque movendi, impotens jacet: * injussu animi urina et stercus elabuntur. Quamvis instrumenta sentiendi torpere videantur, paululum tamen incitamentis admotis obsequuntur; at stupor eadem subducta protinus excipit. Hinc *pupillae* aequo ampliores, lumine tamen illato aliquantulum contrahuntur. Dignum est porro notatu, hominem etsi stupere appareat, tamen inedia impulsum, aut rerum consuetarum egenum, instinctu quasi adductum nisus huc idoneos edere. Quibus perspectis, non

---

* Boyer Traité des Malad. Chirurgical. tom v. p. 92.

admirandum, quod inter medicos parum convenit necne sensus deleantur.

Desaultius * *iridem* luci clarissimae obniti affirmat. Spiritus trahitur atque emittitur facile sine molimine insolito; ita sane aeger vix anhelare percipiatur, neque unquam stertat: arteriae micant citius quam fert natura, languide simul, paribusque intervallis. Haud ignoro, quosdam, spiritum cordis et arteriarum motum tardiores esse tulisse: summis vero auctoribus freti, rem ita se habere nisi cerebro simul presso, denegamus. Perraro membra convelluntur: quippe quod malum cerebro presso, potius quam concusso nascitur. Leviter an vehementer cerebrum quatiatur, vomitus fere semper urget, saepius biliosus. Vultus expallescit, artusque frigent. Mala jam memorata non omnibus omnia contingunt: notae enim Concussi Cerebri, pro corporis in-

---

* Oeuvres Chirurg. de Desault, par Bichat, tom. ii. p. 59.

dole, noxa excitante, aliisque istiusmodi, varient, necesse est.

II. Serius ocyus, modo paucis horis elapsis, alias non nisi post aliquot dies, signis supra prolatis, longe aliena superveniunt. Stupor incitatione perinsigni mutatur. Caput dolere, vultus rubescere, sensusque praeter naturam acui coeperunt: Ne multa, accedit inflammatio cerebri ejusve membranarum. Nosse vero juvat, hanc inflammationem non semper omnes notas *Phrenitidis* aliunde genitae sibi praeferre; at hebetiorem esse, insidiari, lentoque passu progredi; saepe non prius conspicuam, quam artus inhorrescentes, dolorque obtusus suppurationem accidisse denuntiaverint. Hinc, nonnulli, quod supra memini, tertium ordinem signorum posuere; nempe, notas cerebri, pure facto, laticeve aut cruore intus profuso demum oppressi.

Multi, quamvis revalescunt, haud tamen ad integram valetudinem redeunt: mens

nempe saepe praeteritorum fit oblita, et imbecilla: alias, quivis artuum *paralysi* resolvitur. Boyer * meminit, triennium natam, quae ex alto lapsa, hoc malum passa fuerat, quatuor dies sopitam et quasi exanimem cubuisse, spiritu motuque cordis et arteriarum tantum non deletis: eidem, etsi postea revaluit, plerosque menses orationem defuisse. Desaultius † narrat, quendam insanum, Concusso Cerebro, ad mentis integritatem rediisse. Alii quanquam salutem recipiunt, rerum prius cognitarum, veluti nominum, linguarum, et quae sunt hujusmodi, immemores fiunt; alii denique caeci, vel surdi, vel odores percipiendi impotentes sunt facti. Omnia demum, enarrare Cerebri Concussi propria, nec consilium nec limites sinunt.

---

* Op. Cit. p. 93. † Op. Cit. p. 61.

DE DIAGNOSI.

Siquando impetus alienus capiti oblatus calvariae partem sciderit et intruserit, et exinde cerebrum presserit; cruore simul intus aliquando profuso, hoc mali genus *Apoplexia Traumatica* nominatur. Haec vero cerebri concussioni multum distat: eo ut inquirere oporteat, cur medici vel rei medicae scientissimi non raro ancipites, id viscus quatiatur an opprimatur, valde dubitent. Scire igitur licet *Apoplexiam Traumaticam* et concussionem cerebri subinde eidem homini evenire: nimirum, casum eum ipsissimum, qui cerebrum quasserit, quoque aliquas arteriarum aut venarum interiorum, dirupisse; et exinde sanguinem intus fusum, illaesa calvaria, cerebrum gravasse. Notae hujus visceris concussi et pressi accedant, ideoque vera mali natura tenebris quodammodo veletur, necesse est.

Si quis *, capite percusso, aliamve noxam concussuram perpessus, derepente concidit, sensus motusque expers; si porro sentiendi facultate, viribusque motricibus brevi redintegratis, iterum in veternum labitur; judicare licet notas ineuntes Cerebro Concusso; stuporem, qui denuo accedebat, eidem cruore intus prorumpente oppresso, deberi. Cum vero dubitari nequit, haec duo mala non semper cöire; alterutrum scilicet altero vacare posse; permagni interest ea invicem clare discernere: eoque potius quod curatio uni idonea alteri nequaquam convenit.

Abernethius † perhibet, (cui plerique assentiuntur), sentiendi facultatem, cerebro presso, penitus deleri; ideoque *pupillas* ne luci quidam vividae oblatas contrahi. Cui vero cerebrum quatitur, is etiamsi extemplò soporari videatur, et semianimis cubet, haud prorsus sentire desinit; siquidem lumen cla-

---

* Vide Pott. p. 201. Op. Cit.

‡ Op. Cit. p. 90.

rius aliquantulum *iridem* movet, aliaque incitamenta, uti jam memini, momentum quasi temporis, hominem suscitant. Cerebrum oppressum efficit ut homo spiret graviter, raro, nec citra laborem, et inter anhelandum stertat; porro ut cor et arteriae tardius lentiusque quam fert natura imparibusque intervallis saliant: contra Cerebro Concusso, spiritus languide et facilius trahitur et emittitur, homine non stertente; aliquando scilicet quietius, et exilius, quam illaesa valetudine, arteriaeque moventur languide atque crebro. Cui cerebrum opprimitur, is rarius evomit, membra eidem, haud secus atque defuncto solvuntur: eo usque porro sopitur, ut vix aut ne vix quidem terebram admotam sentiat: cui autem quatitur cerebrum, eum vomitus frequenter plectit, stupor non diu trahit; artus magis frigent, etsi fibrae motrices minus resolvantur. Quamvis notavi eum non stertere, quem tentat concussio, nequaquam tamen ei signo deficienti innitendum; interdum enim presso cerebro implicatum non stertere, Abernethius

satis edocuit. Quasso cerebro, homo quasi attonitus vel fulmine percussus, eximproviso stupet: cerebro presso, stupor pedetentim invadit. Ineunte concussione, vultus collapsus expallescit: cerebro autem presso per impetum alienum, turget et rubet ultra debitum; nec raro, vasis capitis multum dilaceratis, sanguis è naribus, ore vel auribus prorumpit: id quod, cerebro citra compressionem quasso, non accidit. * Constat ex jam dictis cerebri vasa jam concussi, necdum inflammati, praeter naturam inania esse; ictu contra pressi plus aequo intumescere.

Quamquam fateor interdum vel peritissimum, consilii dubium haerere: longe saepius tamen, perspectis indiciis supra relatis, dijudicare, quin naturam ipsissimam mali urgentis (si duplex sit) detegere, licet.

---

* Mihi videtur primos effectus concussionis efficere, ut vasa minima per totum corpus (ideoque vasa cerebri) spasmo, vel statu spasmo simili corripiantur; hinc necesse est copiam sanguinis in cerebro moventem imminui, ex quo accidit, stimulo cerebri ex parte remoto, ut omnes functiones a statu ejus sano pendentes pro tempore langueant.

DE CAPITE MORTUI EXPLORANDO.

Res est medicis notissima, plures Cerebro Concusso, succubuisse; quibus introspecto capite, id viscus integerrimum apparuit; neque aliquid insoliti sibi praetulit. Confitendum est simul aliis cerebrum cruore effuso gravatum reperiri; et quasi contusum aut laceratum videri.

Auctores fide summa dignandi contendunt, calvaria defuncti arte sublata, hiatum saepe interesse satis conspicuum inter *duram matrem* et cerebrum; perinde quasi hoc extenuaretur: molem ejus nimirum imminui, citra quamvis aliam mutationem. Sabatier istam cerebri coarctationem notavit *. Littre de eadem meminit: quam capite adolescentis, Concusso Cerebro, derepente occisi patefacto vidit †. O'Halloran hisce assentitur, cere-

* Med. Operatoire, tom. i. p. 113.

† Boyer, Op. Cit. p. 91. et 166.

brum nempe aequo exilius, non calvariam penitus implere professus *. Non oblivisci oportet hanc notam singularem non nisi concussione jam ineunte necatis, necdum accensa inflammatione, evenire. Quum vero indicia hujus mali clare testantur, genus nervosum, cor et arterias, inter principia, insigniter labefactari, (qualia sunt vultus expallescens, artus frigentes, motusque arteriarum imbecilli), veri est simile ejus exiguitatem ad cerebri vasa praeter consuetudinem vacuefacta esse referendam, quam in sententiam me juvare fateor.

Quidquid enim cor arteriasque sedat, arterias et venas perexiles, ubique corporis depleat, necesse est: quo fit, ut cuicunque vultus collabatur, artusque extenuentur et frigeant, eidem vasa cerebri extima quoque solito rivo carere sint judicanda. Neque dubito quin calvaria cerebro amplior esse, patefacto cadavere, conspiceretur, si quis febre inter-

* Transact. of the Royal Irish Academy, vol. iv. p. 166.

mittente plexus, membris jam inhorrescentibus, periret. Coarctatio vero cerebri, quam prosequor, ei citra sanguinem effusum quassato contingit: nec sane concussio gravior, principio, ipsi *syncope*, quod ad cerebri habitum, valde distat: quamquam haud ignoro languorem istum generis nervosi non diu manere; siquidem gravissimus in mortem citam abit; mitior autem paulo postea incitatione et inflammatione mutatur. Abernethius * profecto negat cerebrum quassatum ita ut, animâ cuivis deficiente, se habere: cui tamen quanticunque jure existimetur, hic confidere nequeo.

Qui, paucis diebus hebdomadisque exactis, obierunt, iis, cerebrum vix unquam non indicia praegressae inflammationis introspicienti offert: scilicet, arteriae venaeque turgent, atque pus quandam ejus partem gravare reperitur: praeter alia eodem collocanda.

---

* Vide Op. Cit. p. 34.

DE MEDENDI RATIONE.

Uti morbi, de quo agimus, cursus, sic quoque curatio in duas partes dividitur; quarum una, remedia in cerebrum jam quassatum, necdum prae renixu secuturo, inflammatum, idonea: altera inflammationi debellandae accommodata, complectitur.

Qualis curatio malis ineuntibus aptetur, haud inter medicos convenit, eo quod non omnes de cerebri habitu idem sentiunt. Quidam venas vacuefaciendas existimant: alii id fieri nolunt; et incitamentis variis genus nervosum languescens refocillare nituntur. Veram novisse medendi rationem, cognitamque statim adhibere quam plurimi refert: Multi enim inter principia absumuntur, qui rite curati revaluissent.

Pottius *, secus atque alii, sanguinem mittendum, alvum expurgandam, quietem aegro

* Vide Op. Cit. p. 202.

conciliandam; lucem excludendam, victumque tenuissimum praecipiendum opinatur, quoties cerebrum concussionem unicam subierit. Boyer * Pottio consentit, sanguinis copiam ingentem eliciendam opinatus. Joannes Bell † contra pluresque alii eximii medici rationem curandi isti prorsus contrariam sequi malunt. Hic auctor cerebrum quassum, vires motrices perquam resolvere et sedare contendit, ideoque easdem *vino opioque* erigendas putat; haud ‡ tamen celandum aestimo, hunc clarum medicum longe aliter denuo de hac re sensisse videri: quod satis ex libro de re *chirurgica* conscripto, annoque MDCCCVI edito patescit.

Utraque harum medendi rationum abjecta, medius ire malo. Abernethius || optime notavit cerebro jam nunc concusso, artem medicinalem parum valere. Simul atque vero

---

* Op. Cit. p. 94. † Essay on Wounds, p. 140.
‡ Vide Principles of Surgery, vol. ii. Ed. 1806. p. 811.
|| Op. Cit. p. 85.

homo vorandi fit potens, incitamenta fortiora, veluti, spiritum gallicum, vinum, *opium*, *ammoniam*, et similia, non esse adhibenda; quantumcunque signa ineuntia *Syncopes* propria simulare videantur: contendit porro remedia istiusmodi, siquidèm à medicis claris laudata sunt, subinde graviter nocuisse, nimirum, ab imperitis dijudicandi parum capacibus, intempestivè, id est, inflammatione jam incepta, ministrata. Vix opus est, ut adjiciam hunc medicum illustrem venas deplendas existimare, aliquanto post illatam injuriam: cui Callisenus * assentiri videtur.

Desaultius † exulcerantia sedulo imposita plurimi fecit; minoris autem habuit sanguinis detractionem. Idem copias exiguas *tartratis antimonii* ministrare consuevit: quas legatâ ratione ab eo probatâ, prodesse judico, eo quod cutis halitum, et alvum; modoque nauseam moveant, et exinde incitationem fu-

---

* Syst Chir. Hod. vol. i. p. 731.
† Op. Cit. p. 98.

turam praecaveant. Delpechius * aegrum stimulis, principio, refocillandum asserit; beneque negat, hisce postea utendum: simul ac facultas sentiendi recidiva, artus incalentes, motus arteriarum plenior et durus, vires motrices jam reniti et novari coepisse, cerebrique inflammationem instare, arguunt; tum demum venas scalpello vacuefieri oportere, contendit. Conjicio hanc curandi rationem plerisque aegrotantium accommodari; scilicet, prius hominem leviter stimulandum, vino parce dato, *ammoniâ* naribus adhibitâ, tepidarioque non praetermisso: dein, renixu jam invadente, deplendum et sedandum. Inducor qui ita sentiam, perspecto languore quaesitissimo ineuntis hujus morbi proprio; metuendum enim ne in mortem abeat, nisi incitamenta prohiberent: Nec vero corpus tunc incitatum facit ut inflammatio acerbior sequatur; quae contra potius lenior ideo futura est. Natura enim legem tulit perpetuam, quanto magis langues-

* Prècis des Mal. Chir. tom. i. p. 331.

cant vires, (dummodo languor morti afferendae sit impar), tanto vehementiorem venturum esse renixum. Cavendum vero ne justo ocyus, id est, virium resolutione nondum finitâ, vacuefacere et sedare coeperimus: quod factum aut vitae flammam protinus extinguet, aut certe robur diripiet, inflammationi futurae sustinendae habile; hanc nequaquam mitiorem redditurum. Si cui igitur, jam nunc quassato cerebro, citra noxam aliquam pressuram, artus frigent, vultus extenuatur et pallet, arteriae micant exiliter, celeriter, imo vix moveri sentiuntur; ei venas extemplo arte exonerare, fatum urgere est. Potius opus erit vires jacentes incitantibus cautè concessis erigere, artus fricare, rubefacere, tepidariove fovere, vini paululum, et *alcohol ammoniatum aromaticum* ingerere; nares *succinate ammoniae* suscitare; praecordia demum, idoneis impositis, modo vires insigniter conciderint, calefacere. Ubi, demum cordis arteriarumque motus validior, membra tepentia, spiritus expeditior, et vultus rubrior,

vim naturae medicatricem reniti incepisse denuntiant; tum demum, quo minus eadem erecta in cerebri gravem inflammationem desinat, sanguis largâ manu demendus erit; incisâ venâ brachii, arteriâ *temporali*, aut venâ *jugulari*. Huic sane remedio omnium praecipuo fidendum; plus vero aut minus sanguinis mitti debebit, prout indicent signa, viriumque ratio et corporis indoles. Oportet caput ad cutem tondere, et aquâ frigidâ aceto mistâ lavare. Praestat cervices posticas quam capitis verticem emplastro *meloes vesicatorii* exulcerare: non solum enim capiti admotum refrigerantia adhiberi non sinit; verum etiam interdum inflammationem ipsam recta intendit. Alvus acrioribus medicamentis solicitanda est; prius *sub-muriate hydrargyri* et pulvere radicis *convolvuli jalapae*, deinde quovis salium mediorum. Sales equidem medii praesertim conveniunt; quippe qui frigefaciunt, et efficiunt ut humores circumeuntes deorsum ferantur. Praeparatis ex *antimonio* utendum, quo sudor et nausea mota,

cor arteriasque sedeant. Constat igitur e supra comprehensis, incitamenta omnigena, primo torpore finito, laesura esse.

Praeter auxilia medicinae jam relata, alia quaedam servanda, quae eodem pertinent. Caput quam maximè erigi debebit, pulvino fultum; quies animo et corpori concilianda; cubandum in conclavi spatioso, quodque perflatum liberum accipiat. Victus è materia tenuissima, optimè convenit; nimirum è frugibus, lacte, oryza, et quae sunt his similia; evitatis carnibus, salsamentis condimentis, et liquoribus omnibus meracioribus: Quaecunque vero remedia huic malo debellando sint apta; illud potissimum in animo tenendum, ceteris praepollere sanguinis detractionem: reliqua, hoc misso, quam minimè valere. Incredibile profecto est dictu, quantum venae impune et utiliter depleri possint. Haud tamen alienum duco memorare, permagni referre venam ampliori incisura ferire, quo rivus citior prorumpat: Medici enim satis noverunt, molem san-

guinis celeriter abstractam, vehementius genus nervosum, cor atque arterias consopire, ac eadem moles tardius profusa. Verisimile est igitur hoc aliaque acuta mala penitus devinci posse, copia sanguinis haud ingenti cito absumpta, imbecillitate terrente, quae plus sanguinis demptum tandem excepisset, non superventura.

In animo fuit de ista inflammatione quae serius cerebrum quassum sequi solet; quamque Dease lucide depinxit, et exemplis editis illustravit. Angusti limites vero quos opuscula hujusmodi continere oportet, vix aut ne vix quidem eandem aggredi sinunt. Quicunque hoc utilissimum argumentum scrutari et perspicere velint, eos moneo, libros a viris eximiis Pottio, Dease, Abernethio, confectos manu sedula evolutos perlegant.

"Da veniam scriptis, quorum——
Causa————officiumque fuit."

Ovid.

FINIS.

Excudebant Jacobus Pillans & Filius.